



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

II. Duplex praedictionum genus, per signa; & per verba.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

## PROPOSITIO VII.

272

& sincerum pectus adhibeat , Christum , Christique dispensationem tam luculentis agnoscer expressam monumentis, ut finem Legis & Prophetarum Christum esse , & Vetus Testamentum formam esse & apparatus Novi fateri cogatur. Hinc illud ve-

tuſiorum Ebraeorum: *כל נח שזכיר בתורה בנבאים וכנהוגים רומיים אל החכמה Omnia quecumque memorantur in Lege, Prophetis, & Hagiographis, indicant Sapientiam;* hoc est Christum. Nam si petitis à Mosaico Pentatecho initii per universa prisci Federis volumina lectio decurrat, prænuntiatus uno concentu reperietur Christus ; homo videlicet quidam eximius & divinus, imo & ipse Deus, de nova Legi condenda, humani generis moribus in melius reformandis, ejusdemque eluendis noxis, ac salute demum hominibus comparanda à Deo legatus. Quapropter cum apud Agrippam regem, & Berenicen, & Festum Praefidem cauſam ex vinculis diceret Paulus, hac præ-

*A& 16, 22, 23.*

*Rom. 10, 4.  
A& 10, 43.*

*Duplex pre-dictionum ge-nus, per signa & per verba.*

*Ezech. 5, 1, & seq.  
Ole. 1, 2, & seq.  
Hier. in Jerem.  
19.*

*Gregor. M.  
Hom. 31, in  
Evang.  
1. Cor. 10, 1, &  
seq.*

*Gal. 4, 22, &  
seq.*

*Col. 2, 17,  
Eph. 10, 1, & 8.  
1.*

*Multiplex*

significare crimen à se removebat : *Auxilio enim adjutus Dei usque in hodiernum diem suo, testificans minori atque majori, nihil extra dicens quam ea quae Propheta locuti sunt futura esse & Moyses, si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo & gentibus. Hac doctrina Romanos imbuebat, cum ad eos talia scriberet : Finis enim Legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Item apud Cornelium Centurionem de Christo sic differebat Petrus : Huic omnes Propheta testimoniūm perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. Non alio saepius usos argumento Apostolos & Evangelistas reperimus, quam quod facrorum Vatum oracula subministrabant : ut quemadmodum in Novo Testamento complebatur Vetus, ita Veteri Novum confirmaretur.*

II. Duplex autem in Veteris Instrumenti libris appetat prædictionum genus, ab antiquis Interpretibus optime agnitus utrumque & distinctum; alterum expressum verbis, signis alterum ac simulacris adumbratum ; pro more per Orientem jam inde à vetustissimis temporibus usitatissimo, ac inter Judeos præcipue, quibus cogitationes, sive ad futura, sive ad præsentia, sive ad praterita pertineant, formis ac figuris significare solenne est. Hujus generis fuit Abiae Silonitæ vaticinium, cum pallii novi, iu duodecim partes scissi, decem feminæ colligere Jeroboamum jussit ; hac imagine Salomonici regni scissuram præsignificans, cuius decem tribus sub hujus imperium erant olim concellata. Sic Jeremias per subligaculum lineum in Euphrate putrefactum, Hierosolymæ, Judæorumque superbiam depressum iri portendit. Eadem per agri Anathothiæ emitionem præmonstravit Deus futurum, ut postliminio in patriam Babylone reversi olim Judæi novas agrorum emtiones venditiones contraherent, haud secus quam antea facere consueverant. Imminentes Judæi calamitates per capillorum & barba suæ rasuram, Dei iussu, præmonstrat Ezechiel. Scortum ducere jubetur Osee, ex eo que procreare liberos, atque ea ipsis imponere nomina, quibus futurorum inerant indicia. Rationem moris hujus dat Hieronymus : *Vult Scriptura divina, non solum auribus doceri populum, sed & oculis. Magis enim mente retinetur quod visu, quam quod auditu ad animum pervenit. Utroque modo Christus Iesus Discipulos suos præceptis instruebat : Dominus, ac Redemptor noster, inquit Gregorius Papa, per Evangelium suum aliquando verbis, aliquando rebus loquitur. Præclare id argumentum Paulus in priore ad Corinthios Epistola prosecutus est, cum diceret Ebraeos in Moysi baptizatos esse in nomine & in mari, & omnes eamdem eam spiritalem manducasse, & omnes cumdem potum spiritalem bibisse, bibisse autem de spirituali consequente eos petra, petram autem fuisse Christum. Tum addit : Hac autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. Et deinde : Hac autem in figura contingebant illis ; scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines facultur devenerant. Nobilissimum præterea, & observatione dignissimum exemplum in duabus Abrahami filiis constituit, quorum alter ex libra, insigni Dei beneficio, post iteratas pollicitationes natus erat, alter ex ancilla fuerat prognatus. Hos Testamenti utriusque Veteris & Novi figuram gerere docet Paulus : Unum quidem in monte Sina in servitatem generans, que est Agar ; Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei que nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis. Illa autem que sursum est Jerusalem, libera est, que mater est nostra. Deinde subiicit : Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc. Idem alibi festos dies, neomenias, sabbatha, totamque adeo Legem, futurorum bonorum umbram esse docet ; quorum cultui deditos circumcisos, exemplari & umbra cœlestium deservire ; crassos nempe & pingues Judeos, literam consecantes, obviā videlicet & apertam horum significationem ; spiritum vero negligentes, intimam nempe significationem & reconditam, quam veri, & ex animo, intimisque sensibus Judæi, & corde circumcisi persequuntur.*

III. Quæ verbis autem continentur Prophetiae, vel nudam habent ac simplicem significationem,